



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici  
Semestria duo**

**Strauch, Johann**

**Jenae, 1675**

Cap. II. Ex collectione canonum juri canonico origo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10224**

dam epistolæ, quem auctum ita Codicem Synodus Nicæna III. confirmat. Alius ergo est Codex, de quo hic loquimur, Ecclesiæ *Diversi con-* universalis, alius Ecclesiæ Orientalis, ex illo auctus, quem post *dices Ecce-* Synodum Trullanam editum, iterum Johannes Tilius Lutetiæ an *sia univer-* no 1540. edidit, ex MSCto Codice Ecclesiæ Pictaviensis. Unde *salis alius,* non erat, cur Cardinalis Perronius in responsione ad Magnæ Bri- *alius Eccles-* tanniæ Regem *lib. 1. c. 53.* editionem Justelli in dubium vocaret. *Orientalis.*

## CAP. II.

Ex collectione canonum juri canonico  
origo.

## S U M M A R I A.

1. *Collecti canones faciunt jus ca-* nonicum.
2. *Joach. Stephani notatur.*
3. *Balsamonis commentarius, quo* jussu confectus.
4. *Balsamo, quis.*

**E**X collectione igitur canonum Jus Canonicum originem duxit, quâ & Ecclesia Orientalis & Occidentalis diu fuit usa. Cui Johannes Zonaras, & Theodorus Balsamo, verbis Conciliorum & Canonicarum epistolarum appositis interpretationes suas addiderunt. Errat vir quidam doctus, *institutionibus* *Juris Canonici*, qui è sententiâ Isidori, originem Canonum à conciliis œcumenicis repetentis *c. canones. dist. 15.* recedit, opinans hos canones in Alemanniâ longè ante Constantinum M. fuisse receptos, hac ratione, quod in Lege Alemannorum citantur canones: sed non attenderat vir eruditus, & de jure Canonico benè meritus, Leges Alemannicas à Theodorico, Rege Franciæ, auctoritate donatas. Qui sive Theodericus Clodovei F. fuerit, (quod magis probat Vir incomparabilis, Germaniæ nostræ decus æternum, Dnus, Hermannus Conringius, amicus noster omni animi cultu prosequendus, *tract. de orig. juris Germ. c. 9.* ad minimum is LXX. annis concilio Chalcedonensi posterior fuit: Sive alter ex monacho factus Rex Franciæ anno 679. Lex Alemanniæ utique corpore canonum recentior erit ducentis, & quod excurrit, annis: Concilio autem Nicæno, trecentis quinquaginta. Cate-

*Collecti canones faciunt jus canonicum. Joach. Stephani notatur.*

*Balsamonis  
commenta-  
rius, quo  
jussu confe-  
ctus.  
Balsamo,  
quis.*

rum obtulit Balsamo, anno Domini 1191. Johanni Xiphilino Pa-  
triarchæ Constantinopolitano commentarium suum jussu Imp.  
Emanuelis Comneni & Michaëlis Anchiali Patriarchæ confe-  
ctum. Fuit is Balsamo Patriarcha Antiochenus. *Videsis Baronium  
tom. 12. ad Ann. D. 1191. sect. 49. Quem Nicetas Choniates lib. 2.  
imperii Isaaci Angeli magnæ Antiochiæ Episcopum, virum ea  
ætate JCtissimum appellat.*

## CAP. III.

## De Joh. Scholastici collectione.

## S U M M A R I A.

1. Joh. Scholastici collectio.
2. Quis ille, quo vixerit tempo-  
re.
3. Ejus exemplaria tria.
4. Nomocanon ejusdem Johannis.
5. Hic falso tributus Theodoro.

*Joh. Scho-  
lastici colle-  
ctio.*

*Quis ille,  
quo vixerit  
tempore.*

*Ejus exem-  
plaria tria.*

*Nomocanon  
ejusdem Jo-  
hannis.*

*Hic falso  
tributus  
Theodore-  
to.*

**P**ertinet huc & Johannis Scholastici *συναγωγή κανόνων*,  
collectio canonum, quâ canones non secundum ordinem  
temporum sed materiarum, in quinquaginta titulos con-  
textuit. Erat is Antiochiæ Presbyter & Apocristarius, in-  
de, pulso Eutychio, Patriarcha Constantinopolitanus, Justiniani  
Imper. tempore. Exstant ejus hodie tria exemplaria MSta,  
unum in Bibliothecâ Vaticanâ, Heidelbergâ ablatum, alterum in  
Bibliothecâ Petri Seguerii, Cancellarii Franciæ. Tertium Chri-  
stophori Justelli, ex Bibliothecâ Collegii Claremontani Parisien-  
sis. A quâ collectione diversa est ejusdem Johannis epitome, seu  
Nomocanon, quo, omissis integris canonibus concordantes le-  
ges, Novellas in primis Justiniani ad singulos titulos adjecit,  
quem secutus est postmodum Photius & alii. Huic perperam-  
MSCtum. Regium titulum fecisse *Θεοδώρητος Ἐπισκοπὸς Κύπρου*  
notat Justellus.

## CAP. IV.

In Occidenti receptus idem Codex, sed  
translatus Lat.

S U M-